



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 219. Absolutio illicitè & invalidè datur absentì.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

sum, tamen remissum, in esse commissi perinde se habet, ac si nunquam fuisset commissum; sed solum in esse redditus subiectum suum dignum odio & pœnâ. Quia ergo per absolutionem, seu remissionem, non tollitur quoddam peccatum non fuerit commissum, sed semper verum manet illud fuisse commissum: sicut de illius commissione peccator potest se iterum iterumque coram Deo, Deique Ministro humiliter, remissionemque petere; sic Deus, Deique Minister potest illud iterum iterumque remittere, dicendo, *perinde te recipio in gratiam, ac si nunquam commississet.* Nec verò id absque novo effectu dicitur, sed novam gratiam ex se remissivam conferendo.

2653 Neque hic valet argumentum à vinculis corporalibus, quæ semel soluta verè amplius solvi nequeunt, nisi quis eis de novo fuerit constrictus. Quia aliud est de vinculis physicis, aliud de moralibus; neque ab illis ad ista valet argumentum. Ut enim quis verè hic & nunc solvatur à physicis vinculis, debet hic & nunc eis esse constrictus; non sic ut solvatur à vinculis moralibus peccatorum, quæ sufficit aliquando fuisse commissa, ut toties ab eis solvatur, quoties ea confitendo ab eis absolvi perit. Constatque ex Ecclesiæ sensu quoddam ejusmodi solutio non sit absque effectu, prout solutio vinculorum physicorum, jam solutorum: cum per eam verè conferatur gratia ex se remissiva peccatorum commissorum. Et aliâ absque effectu foret absolutio ejus qui per contritionem perfectam cum confessionis voto à Deo jam est absolutus.

CAPUT CCXIX.

Absolutio illicitæ & invalidæ datur absenti.

Constat ex dictis cap. 194. Vide ibi.

CAPUT CCXX.

Absolutio sub conditione de presenti, si sit contritus, si sincerum habes te emendandi vel restituendi propositum, &c. illicita est. Sub conditione de futuro est invalida.

2654 **P**osterioris partis ratio est, quia non est in potestate Sacerdotis, Sacramenti effectum suspendere ad tempus implete conditionis. Ita Manuale Cameracense, & Doctores communiter.

Prioris verò partis ratio est, quia ejusmodi conditio (cujus appositionem Gobat tr. 7. de Sacram. n. 268. justificare conatur, pro casu quo Confessarius rationabiliter dubitat de sufficienti dolore vel proposito pœnitentis, nec adhibita diligentia dubium solvere potest. Quo etiam casu plures Confessarii perperam existimant se sacrilegi metu liberos, absolvendo sub conditione) absolutionem perinde ridiculam & stolidam reddit, ac si Judex Civilis sententiam ferret pro ea parte à qua jus & ratio potior sit. Quemadmodum enim hoc ipsum est de quo Civilis Judex judicium absolutum ferre debet; sic illud ipsum est de quo Judex sacramentalis absolutus debet judicare. Ad hoc quippe à Christo Judex est institutus, ut absolute judicet, an peccator sufficientem habeat dolorem ac propositum, ad hoc ut absolvatur. Nec absolvere debet in terris, nisi quem absolutum vel mox absolvendum credit in cœlis, prout communis est sententia Patrum. Nec sententia, seu absolutio, sub tali conditione data, dumtaxat est ridicula, sed & perniciofa. Quia per eam fit, quoddam pœnitens, se verè absolutum existimans, de reparando defectu sufficientis doloris ac propositi, non sit sollicitus, sed in malo fortè statu, ob defectum illum, perseverans communicet.

Tom. III.

Quapropter opinionem illam Gobatii Cajetanus exterminandam dicit ab Ecclesia Dei.

Confessor nihilominus, secundum Ecclesiæ sensum & usum, sub conditione potest absolvere, dum rationabiliter dubitat, num absolutionis verba protulerit. Tunc enim dicere potest: *si non es absolutus, ego te absolvo, &c.* Sicut in dubio de baptismo collato: *si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Potest etiam sub conditione absolvere, dum omnibus consideratis, rationabile dubium est de physica capacitate pueri, an scilicet ad hoc adeptus sit sufficientem rationis usum. Ad hoc quippe judicandum constitutus non est à Christo Judex sacramentalis.

Potest denique sub conditione absolvere moribundum, de quo dubitat, num adhuc vivat: vel de quo non habet nisi probabile testimonium vel dubium indicium, quoddam absolvi velit, ut Doctores communiter censent.

Potest in casibus proximè dictis necesse non est conditionem voce exprimere, sed sufficit exprimere mente, ut communis est sensus & usus: cui absque sufficienti fundamento Caramuel contradicit Theol. Moral. lib. 3. n. 1495. dicens, absolutionem sic non esse sensibilem, nec menti vocem concordare. Quemadmodum enim forma non desinit esse sensibilis, licet effectus ipsius non intendatur nisi sub conditione mente concepta, intentioque ejusmodi sufficienter determinat formam sensibilem ad sensum sacramentalem, potius quàm ad sensum merè historicum vel jocosum, &c. sic intentio conficiendi Sacramentum sub conditione, solâ mente concepta, sufficienter determinat formam sensibilem ad sensum conditionatum. Ad id proinde necesse non est quoddam apposita conditio sit sensibilis (uti Caramuel putat) neque ut verba correspondant menti absolventis, necesse est quoddam expriment totum quod intenditur; sed satis est quoddam significant aliud quàm mens intendit. In casu verò nostro non significant aliud: & sicut non habent significationem sacramentalem; sic non habent significationem absolutam vel conditionatam, nisi ut substant absolutæ vel conditionatæ intentioni Sacerdotis absolventis. A qua intentione præscindendo, præscindunt à sensu absoluto & conditionato, sicut præscindunt à sensu sacramentali, & non sacramentali.

CAPUT CCXXI.

Absolutio à censuris procedere debet absolutionem à peccatis.

2655 **P**robat hoc S. Thomas Supplem. q. 24. a. 1. ad 2. quia, *cum excommunicatus non sit participans Sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absolvere excommunicatum à culpa, nisi sit prius absolutus ab excommunicatione.*

Confirmat id ipsum S. Carolus in Instru. Con. fest. *si pœnitens aliquâ censurâ innodetur, à qua Sacerdos licentiam habeat eum absolvendi, debet ea absolutio peccatorum absolutionem procedere; & bonum est præmittere semper ad cautelam: in quantum possum, & suâ iudicet.*

CAPUT CCXXII.

Obvius quibuscumque, tamen si sua peccata confitentibus, absolutio impartienda non est; sed neganda omnibus, quorum nulla vel ficta est conversio.

2662 **Q**uia sic exigunt leges, quas Sacramenti Pœnitentiæ Ministris Christus præscripsit, ut peccata non dimittant nisi iis qui ea oderunt, qui

G g g